



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ Pontificum Romanorum

Ex Antiquis Monumentis Collectæ

Sandini, Antonio

Bambergæ, 1753

CLXX. Alexander III. Anno Christi 1159. Federici Imp. 5. Manuelis Comneni
17.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65464](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65464)

peratori. Baronius ad an. 1159. §. 20. Belli-
minus de Translatione Imperii lib. 1. cap. 3.

CLXX.

ALEXANDER III.

ANNO CHRISTI 1159.

FEDERICI IMP. 5. MANUELI
COMNENI 17.

Bar. an
1159. §.
28. 33.
Pag. §. 19.

ALEXANDER III. Senensis, *Pa-*
landus Paperonus antea dictus
ad cujus litteraturam pauci de praece-
ptoribus ejus infra centum annos attinge-
runt, (1) anno 1159. Idus Septembris
electus invitatus renitensque, & ante
diem XII. Kal. Octobr. consecratus
ornatusque coronâ Pontificali. (2)
Hic adversa expertus est insigniter
toto fere Pontificatu. Dicitur enim
potest, quanta passus sit à quatuor
falsis Pontificibus, ab Henrico
II. Angliæ Rege, & Federico
I. Imperatore. Fugam capere con-
atus, exulare compulsus, anathemate
damnatus, animum nunquam despon-
dit, & quâ erat constantiâ planè ad-
mirabili, illustrem de adversariis om-
nibus victoriam reportavit. Primum
enim atque alterum ex Pseudoponti-
ficis

ficibus miserè periisse, condoluit; ^{Bar. an.}
 tertium petentem veniam commissi ^{11.9.1.}
 suscepit perhumaniter; quartum per- ^{Pag §7.8}
 manentem in pertinacia ejecit in exi- ^{Bar. an.}
 lium. (3) Rex Anglorum simul com- ^{1147.9.5}
 minatione anathematis, simul con- ^{7.}
 scientiâ ictus Thomam Archiepisco- ^{pag. §7.}
 pum Cantuariensem ab se diu vexa-
 tum, ab suis interfectum, ac paulò
 post ab Alexandro relatum in san-
 ctos martyres, coluit maximo bono
 suo, obtinuitque ab eodem Alexan-
 dro, ut *Hyberniam, quam ipse nuper*
domuerat, ad Anglia Regnum suâ aucto-
ritate adjugeiet. (4) Imperator verò
 armis Venetorum subactus cupivit
 cum Alexandro, qui Venetias de-
 mum confugerat, pacem compone-
 re. Itaque in vestibulo Ædis D. ^{Bar. an.}
 Marci Deum in Alexandro venerans, ^{1177.9.1.}
 imperiali dignitate postpositâ, rejecto pallio, & seqq.
 ad pedes Papa totum se extenso corpore in ^{pag. §. 1.}
 clinavit. *Quem Alexander cum lachry-* ^{& seqq.}
mis benigne elevans recepit in osculo &
benedixit. Idem medius postea inter Im-
peratorem & Ducem ad Altare Beati
Marci processit, & sermonem pacis &
Venetorum laudes populo faciens in con-
clusionem sic ait. Sicut Dux & Veneti in
 U u 3 die

die disensionis Ecclesiam de magnis angustis liberaverant; ita concedimus, ut vere contriti & confessi singulis annis eodem Festo accedentes ad hanc eorum Ecclesiam plenissimam suorum delictorum veniam, & infra Octavam septima partem remissionem consequantur. (5) Idem Alexander Venetiis degens epistolam dedit ad Regem indorum in Asia longe lateque dominantem, cuius nomen Presbyter Joannes, seu Premanus traditur. (6) Venetiis antequam discederet gratiam testatus concessit singularia jura multa. (7) Romam pace compositam regressus, Concilium Oecumenicum instituit ad vindicandam Ecclesiae disciplinam. (8) Alphonso I. Duci Lusitanorum Regium titulum contulit, ob gesta praecleara adversus Saracenos. Decrevit, ut nullus haberetur in numero Sanctorum, nisi auctoritate Ecclesiae Romanae. (9) Illud etiam memoriae proditum est eo, restituendae Justinianorum familiae inter Venetas clarissimae indolisse Nicolao Justiniano, ut abdicato monastico instituto uxorem duceret.

Bar. an. (1) Vitam posuit in Urbe Castellana
1181 §5 anno 1181. III. Kal. Septembr. acta
Pag. 92. Pontificatu per annos unum & viginti

*menses undecim diesque tres supra
viginti.*

ANNOTATIONES.

(1) Robertus de Monte in Append. ad Chron. Sigeberti inter Scriptor. Rer. Germanic. Pistorii pag. 930. ubi adjicit: *Dedit etiam ei Deus hanc gratiam, quòd cum à B. Petro usque ad ipsum fuerint 174. Pontifices Romani, tres tantum præcesserunt eum in numero annorum, quo Romana Ecclesia præfuerunt. B. Petrus 25. annis, Silvester I. 23. annis, Hadrianus I. totidem. Iste Alexander 22.*

(2) Alexander III epist. 9. apud Martene tom. 2. Veterum Scriptorum pag. 663.

Scriptor hujus ætatis apud Baronium ad an. 1159. §. 33. ait, Alexandrum III. *Re-
gno de more insignitum, mitra turbinata
scilicet cum corona.* Alexander III. in
epist. ad Gerardum Episcopum Bononien-
sem apud eundem Baronium §. 38. *Apud
Nympham non longè ab Urbe munus con-
cracionis accipimus, & sicut in Romana
Ecclesia moris est, ibidem Pontificali Re-
gno magnificè sumus & solenniter ceronati.*
Innocentius III. Sermonè in Festo D. Sil-
vestri Pontificis: *Romanus Pontifex in
signum Imperii utitur Regno, & in si-
gnum Pontificii utitur mitrâ* Vide an-
notat. 4. ad Urbanum V.

U u 4

(2)

(2) Pandulphus Pisanus in vita Alexan-
dri III. inter Scriptor. Rer. Italic. tom. 3.
pag. 446. *Hic vicis quatuor Schismati-
cos Octavianum & Vidonem Cremonensem,
Joannem Strumensem & Landonem, Pro-
mus fecit se vocari Victorem V. secundum
Paschalem III. tertius Callistum III. quor-
um Innocentium III. quorum tres Presby-
teri Cardinales erant: qui per Papam
excommunicati malâ morte perierunt.
Paschalis III. instinctu Federici Imperatoris
Carolus Magnus Imperatorem, & Regem
Francorum retulit in Sanctos. Sed quod
is haud legitimus fuit Pontifex, ejus-
modi canonizatio non est recepta ab Ec-
clesia Romana. Quod tamen non rep-
riantur legitimi Pontifices eam imp-
gnasse, res sic tacitâ permissione sua
olerantiâ perseveravit, ut in propria Ec-
clesia, ubi sepultus fuit, coleretur. Ita
enim Canonum precipui interpretes docu-
erunt. Propagatus autem postea cultus
ejus in alias Ecclesias Galliarum
Belgii, atque Germaniae, in quibusdam
Carolus sanctitatis titulo colitur. Spon-
nus ad an. 814. §. 5. Baronius ad eundem
an. §. 63.*

Prosper Cardinalis de Lambertinis de Ser-
vorum Dei Beatificat. & Beatorum Canoniz.
lib. 1. cap. 9. num. 4. pag. 72. Conzelorius
in suo tractatu de Canonizat. Sanct. cap. 1.
num.

num. 2. *Carolus asserit dici posse tantum beatificatum: & hæc quidem sententia retinenda videtur; quidquid etenim sit de concessione facta ab illegitimo Pontifice, tot subsequentes legitimi Pontifices prædictam concessionem sciverunt, minime autem improbarunt, sed per tolerantiam admiserunt: quibus si addatur longissimi temporis observantia, nihil deesse videtur ex requisitis, qua necessaria sunt pro validitate cultus, quoad Ecclesias particulares, & sic pro sufficienti Beatificatione*

(4) Polydorus Vergilius Historiæ Anglicæ lib. 13. pag. 288.

(5) Sunt hæc verba ipsa Romualdi Archiepiscopi Salernitani hujus historiæ auctoris certissimi, utpote qui tunc Concilio Veneto præfens adfuit, in Chronico apud Labbeum tom. 10. Conc. pag. 1496. & apud Baronium ad an. 1177. §. 6. Auctores item certissimi sunt Andreas Dandulus in Chronico tom. 12. Scriptor. Rer. Italic. pag. 303. & Alexander III. ipse in epistolis, quas scripsit Venetiis in Rivoalto, apud Baronium ad an. 1177. §. 24. 25. 26. & apud Labbeum tom. 10. Conc. pag. 1486. 1487. 1488. Itaque jure Baronius ad an. eund. §. 86. *Stet asserta prima sententia veritas omni contradictore superior, nec labefactetur ullâ assertiono mendaciorum. Quorum illud cateris magis indecorum, quo asseritur factum illud arrogans, & penitus insuetum, quod hu-*
mi-

*miliatum ad pedes Pontificis caput Imperatoris pede ipse presserit, atque insultaverit verbis illis ex Psalmo petierit Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Et quod laesus Imperator in ipsum illud intorserit. Non tibi, sed Petro; cui retorserit Alexander arrogantius dictum huiusmodi: Et militibus & Petro. Abhorrens est quidem a sacro Christi Vicarii mansuetudine turgens festu facinus, penitusque alienum ab ipsius moribus tot actionibus probe notis. Plura in eandem sententiam Felix Contelorus in eo libro, qui inscribitur: *Narratio concordia inter Alexandrum III. summum Pontificem, & Federicum I. Imperatorem Venetis confirmata.**

Monumentum defensi ab Venetis Alexandri III. exstat Romæ in Vaticano positum à Pio IV.

ALEXANDER PAPA TERTIUS
 FEDERICI PRIMI IMPERATORIS IRAM ET
 IMPETUM FUGIENS
 ABDIT SE VENETIIS.
 COGNITUM ET A SENATU PERHONORIFICUM
 SUSCEPTUM
 OTTONE IMPERATORIS FILIO NAVALI PERILO
 A VENETIS VICTO CAPTOQUE
 FEDERICUS PACE FACTA SUPPLEX ADORAT
 FIDEM ET OBEDIENTIAM POLLICITUS
 ITA PONTIFICI SUA DIGNITAS VENETARUM
 REIPUBLICÆ
 BENEFICIO RESTITUTA
 MCLXXVII.

(6) Otto Frisingensis lib. 7. cap. 33. loquens de Episcopo Gabulensi è Syria misso ad Eugenium III. *Narrabat etiam, quod ante non multos annos Joannes quidam ultra Persidem & Armeniam in extremo Oriente habitans, Rex & Sacerdos cum gente sua Christianus est, sed Nestorianus.* Hunc non in Africa, ut creditum est à nonnullis, sed in Asia regnasse probat Pagius ad an. 1145. §. 9. & ad an. 1177. §. 7.

(7) De quibus M. Ant. Sabellicus Hist. Rer. Venet. Dec. 1. lib. 7. pag. 118. & 120. inter cætera Ciano Principi Venerias reverso post devictam in Historiæ ora classem Federici Caesaris, captumque Ottonem filium ejus, *primò victoriam gratulatus: inde annulum porrigens aureum, accipe, inquit, Ciane, & me auctore ipsum mare hoc tibi pignore obnoxium reddito: quod tu tuque successores quotannis stato die servabis, ut omnis potestas intelligat, maris possessionem jure belli vestram esse quandoque factam. atque uti uxorem viro, ita illud vestro subjacere imperio.... Ferunt, Dominica Ascensionis die, seu per eos dies victoriam de Federico partam, ac in tam felicitis rei memoriam Pontificem sanxisse, ut quotannis stato die in D. Marci ade, plena omnibus, qui confessionem fecissent, pateret venia.* Consentit Dandulus loco citato.

(8) Lateranense III. Oecumenicum XI. anno

anno 1179. celebratum. Interfuerunt Epi
 scopi trecenti, referente Gulielmo Tyrino
 qui præsens adfuit, lib. 21. De bello Sa
 cro extremo cap. 26. in Bongarsii Gestis Del
 per Francos tom. 1. part. 2. pag. 113.
 Præsuit ipse Alexander III. Canones septem et
 viginti conditi. Decretum *ut si forte inter
 Cardinales de substituendo sumo Pontifice
 non poterit esse plena concordia, & a
 bus partibus concordantibus pari terra
 concordare noluerit, aut sibi alium pro
 sumpsit nominare, ille absque ulla ex
 ceptione ab universali Ecclesia Pontifex
 habeatur, qui à duabus partibus concor
 dantibus electus fuerit & receptus* Ita
 tat decretum Cap. Licet. 6. De Electione.
 Itaque, ut annotavit Panvinius ad Placitum
 pag. 157. *Clero omnino, & populo à Pon
 tificis electione exclusis, ea ad Cardina
 les solos tunc primum redacta est, ad
 evitanda in posterum schismata. Finitio
 Ordinum sacrorum interdicta iis, qui à
 Pseudopontificibus initiati fuissent. Veritatem,
 ne quis sine certo titulo, de quo necessa
 ria vita percipiat, in Diaconum vel Pres
 byterum ordinetur: quæ est prima tituli
 Patrimonialis mentio: ne Clericus Mona
 steria Sanctimonialium frequenter sine
 manifesta & necessaria causa: ne Laici
 imponant Ecclesiis onera; ne arma, ferrum
 ligna Turcis aut Saracenis importentur, ne*

usurarii manifesti ad communionem admittantur Altaris, néve Christianam, si in hoc peccato decesserint, accipiant sepulturam. Damnati Albigenses hæretici, aliæque statuta sancientiæ Ecclesiasticæ disciplinæ.

(9) Habes decretum in tit. de Reliq. & venerat. Sanct. cap. *Audivimus* l. Eminentissimus Scriptor Prosper de Lambertinis de Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 1. cap. 10. §. 4. *De hac Alexandri III. Decretali magna est inter scribentes disputatio, an per illam inductum fuerit jus novum, Sedi Apostolica reservans, privativè quoad Primates & Episcopos, & ceteros omnes, jus statuendi, an huic, aut illi Servo Dei cultus prestari debeat, nec ne, ablata cæteris omnibus facultate, quam habebant in suis Provinciis, & Diocæsisbus indulgendi Dei Servis Beatificationis honores: seu potius, an jus hoc privativum fuerit antè prædictam Decretalem inductum, perinde ac si eadem latam presupponat aliam legem, aut antiquiorem inductam consuetudinem, que Apostolica Sedi jus illud privativum reservaverit. Post hæc è vestigio profert Scriptores in partem utramque. Et §. 8. Edita porro ab Alexandro III. supra relatæ Decretali, subsequentiæ Ecclesiastica*

stica monumenta nedum aperte loquuntur de potestate canonizandi, sed etiam beatificandi Summo Romano Pontifici, privative quoad alios omnes, reservata. Innocentius III. in Bulla Canonizationis B. Chunegundis Imperatricis de potestate canonizandi sic effatur: Cum hoc sublimis judicium ad eum tantum pertineat, qui est B. Petri successor, & Vicarius Jesu Christi. Postremo asserit, inbibitam quidem fuisse à tempore Alexandri III. Beatificationem, qua fiebat ab Episcopis, sed nonnullas fuisse toleratas, ab eis post dicta tempora factas, & quodammodo approbatas, si centenaria non deesset prescriptio: hac autem omnia cessisse, cum anno 1634. prodierint Urbani decreta centenariam predictam preservantia.

(10) Bernardus Justinianus in Vita S. Laurentii Justiniani cap. 1. apud Surium, & Bolland. die 8. Jan. pag. 552.

Joannes Baptista Gonet tom. V. Clypei Theologici disputat. 9. De impedimentis dirimentibus art. §. 4. respondet ex Baronio (ad an. 1186. §. 29.) auctorem hujus historiae. Bernardum Justinianum quem modo nominavi) duo inter se pugnantia scripsisse: ait enim, Alexandrum III. cum Nicolao Justiniano dispensasse, & B. Laurentium Justinianum ejus filium claruisse tempore Eugenii IV. & ab eo Episc.

*Episcopali insulâ insignitum fuisse. Que
duo inter se pugnant, quandoquidem Ale-
xander III. Eugenium plusquam ducentis
annis precessit. Prior enim obiit anno
1181. posterior creatus est anno 1431.*

In hac responsione Gonetus in eo quidem
fallitur, quod ponit Bernardum Justinianum
facere S. Laurentium filium Nicolai, cum fa-
ciat filium Bernardi, quem Nicolaus ex An-
na filia Vitalis Michaëlis Ducis Veneti susce-
perat. Ecce verba cap. 1. *Natus est Lau-
rentius Venetiis Bernardo Justiniano pa-
tre, matre vero Quirina.* Et paulò post:
*Natus est Laurentius sub finem belli Ge-
nuensis illius maximi & periculofissimi, &
natus quo die pro insigni apud Clodiam vi-
ctoria universa Civitas supplicationibus,
& omni latitie genere redundabat,* vide-
licet VII. Kal. Julii anno 1381. ut notant ex
Sabellico Bollandistæ die 8. Jan. pag. 553.

Quod verò pertinet ad Alexandri III. Eu-
genii IV. & S. Laurentii Justiniani ætatem,
& ad Chronologiam, viderint alii.

CLXXI.

LUCIUS III.

ANNO CHRISTI 1181.

FEDERICI 27. ALEXII COMN. 1.

LUCIUS III. antea *Humbaldus Al-
lucingolus, Lucensis* Kal. Septemb.
anno